

Paulus Schede Melissus


Pauli Melissi Carmina duo: Unum ad Samoscivm, Alterum ad Farensbachivm, Scripta

[Rostock?]: [Möllemann?], [1594?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1775713970>

Druck Freier  Zugang





100

2806

A. Dd. 6

Heber V-5344

with 4 more //

69-2065 1-30

<SAX>

Ex libris
- 4 -



PAULI MELISSI

Carmina duo:

Unum ad

SAMOSCIUM,

Alterum ad

FAREN SBACHIVM,

Scripta.



PAULI
SAMI
FARENZBA
1757

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

AD ILLUSTRISSIMUM,
MAGNIFICENTISSI-
MVMQVE HER-
OEM

IOANNEM
SAMOSCIVM

Regni Poloniæ Cancellarium,
Exercituumq; Ductorem
Summum.

De Academiæ Samoscianæ
Fundatione.



ALVE SAMOSCI.

non prohibes enim,

*Vir magne, ne sic alloquio
breui*

Docta ora compellem, Graduum,

Quamlibet heu Scythicis ferocem,

A 2

Spiran-

*Spirantia armis. Scimus, ut arduo
Fortuna rerum dædala te loco
Fortem Dynastam collocarit.
Scimus &, ut Themidos staterâ
Justè administres ampla negotia
Regni Poloni. Scimus ut hosticas
Bellator infringens phalangas,
Telaq; Moschigenum retundens,
Famam perenni laude paraueris;
Quam tam pedestri scribere gens stylo
Conatur, inuicti laboris
Æmula, tum numeris iugatis
Clari Poëtæ continuare amant
Nepotum in annos innumerabiles.
Accedit huc quod præstitisti
Eximium facinus, vocatis
Musis in ora Sarmaticæ sinum,
Virisq; doctis. namq; Academiam
Molitus instaurare Diam,
Præter equos equitumq; curam
Artesq; belli, gnauiter excitas
Ad eruditum vim popularium
Certamen, & luctam decentem
In studijs geminas honestis.*

Vides

Vides aperte, fulcra politicis
Statuminandis rebus idonea
Non esse, firmandisq; regnis,
Scepstrigerumq; ducum coronis:
Nisi bona artes in pretio bono
Pariq; censu sint; nisi satrapæ
In hoc laborent, ut Camæna
Presidijs foueantur aquis.
Maiore tu vix (auguro) gloria
Florere posses, vix potioribus
Ferri quadrigis alta in astra,
Vix procerum superare mentes
Excelsiori mente, nisi hoc tua
Manus trophæo. Macte age Nobilis
Fundator heroï Lycei!
Macte noui reparator aui!
Nemo heic Professor publicus audiat,
Præterquam opimis dotibus inclutus,
Callens ad unguem classicorum
Scripta vetusta; phrasēsq; rectas,
Linguasq; plures. O Academia
Vigesce, tales nacta viros, quibus
Sollertè emergas, decusq;
Concilies tibi sempiternum

A 3

Per

*Per mille alumnos. Tuq̄, adeò diu
Patrone flore & viue, tuis bonis
Gauise, ceu gaudens bono ipse
Omne dico. Vale SAMOSCI.*

PAVLVS MELISSVS Fran-
cus Comes Sacri Palatij & eques,
Ciuis Romanus;

Electori Palatino à Con-
silijs & Bibliothecâ.

ROSTOCHII
ANNO
clb lb XCIV.

AD ILLVSTREM ET
BELLICOSISSIMVM
VIRVM

GEORGIVM
FARENSBACHIVM,

DOMINVM HEREDITARIVM
CARCVSII, PRÆSIDEM VEN-
DENSEM, NOBILITATI
LIVONICÆ PRÆFECTVM.

M E L O S:

In quo illius Laudes militares, &
maximæ virtutes comme-
morantur.



*ERoa si quem strenua Martijs
Prestare gestis audio munia,
Exsultat internâ vigescens
Mens animi trepidatione,
Tenditq; digno pectus idoneum
Sonare versu. nam tua quum gravi
Cantent, FARENSBACHI,
Incluta facta boni Poëta; (Camænâ
Solusne*

*Solusne cecis illa silentijs
Texisse dicar? Non patitur tua
Virtus taceri, nec virilis
Dextera, sic viridi sub aëvo
Mavorte ab ipso terribilem in modum
Instructa, magno par sit ut Herculi,
Tot gentium invicto per orbem,
Vulnificis domitori in armis.
Te Celta bellis suetus atrocibus,
Acresq; belga, & regna Aquilonia
Videre Suecūm praliantum
Castra sequi juvenem torosum.
Exinde in Hunnūm finibus extimis,
Thrax obsideret cum Solyman, ferox
Hostis, Sigethum, strenuēq;
Eligeret potius moriri
Comes Serinus (cuius ego caput
Collo recisum post tenui hac manus
Et ipse miles) quā pacisci
Cum trucium agminibus latronum
Vt saluus esset: tu generose Vir
Illo stetisti tempore Caesaris
A parte Maximilliani,
Pannoniam gladio tuentis.*

Post,

Post, ingruentum millia Tartarum
Dum plura, Moschos depopulantium,
Agros, & igni concremantum
Obvia quaque, metu minisque
Passim invalescunt: non alio sibi
Moschum tyrannus vim ratus hostium
Tantum propulsari, nisi ipso
Te duce, posse; prece impetravit
Abste, GEORGI, nec pretio sine
Amplio, labantes res ut in integrum
Se restitutas dicerent te
Vindice. Mox equitum catervis
Germanicorum, cedere nescijs
Vincive, per te cis mare Caspium,
Quam vastus intrat Volga, ductis,
Primus unus metuende pugnam,
Sternisque primos primis, & hosticas
Turmas repellis, victor idemdem.
Industria imperterritumque
Pectus atrocem aciem retundit.
Quali leonem Marmaricum impetu
Ferri minores cernimus in feras,
Pollentia vi prevalentem &
Ingenita feritate fretum;

B

Tali

Tali eminentem robore, & arduum
Forti lacerto per fera vulnere
Sensit FARENSBACHium repu-
Natio Tartarica cohortis, (gnax
In posterum non ausa laceffere
Impune gentis Teutonice agmina.
Palmâ hac potitum rex Danorum
Summum equitum merito magistrum
Regali in aulâ te sibi destinat,
Ducemque belli, munere duplici
Honestè onustum. post Graduum
In rigidos celer ecce Moschos
Felix in armis rex Stephanus movet,
Te non omisso; quem socium sibi
Adscivit ad bellum gerendum
Fortiter. Eripienda Moscho est
Per ampla, dixit, terra Livonia,
Et vindicanda est rursus ab exteris.
Virtute nimirum tuoque
Consilio est mihi opus meisque.
Atqui manebunt te bona premia,
Opesque magna, non sine honoribus.
Sic ille. pares, prosperumque
Ad Stephani rata vota finem
Res

Res sortiuntur. Mors ubi sustulit
Regem, recessus scinditur in duos
 Electionis vox, ut ante
 Acciderat quoque. Tu sequutus
Samoscij oris vix superabilem
Suadam, Periculis more, ut & arduas
 Molitiones atque Martem,
 Sarmaticum, Xenophontis instar;
Contraria arma & tela & acinaces
Eousque frangis viribus aneis,
 Donec Sigismundo corona
 Sceptraque Suecigena obvenirent.
Nulli exprobranti strenua militis
Culpare fas sit brachia, cui duci
 Regive quisquam cumque juret
 Se fore vindicibus fidelem
Fidumque in armis; præcipuè bona est
Si causa, & id res patria postulat.
 In hoste & extolli meretur
 Impigritas, alacrisque virtus.
At non profusis usque cruoribus
Pax aestimetur. sæpe sine ullius
 Composita cruvis pax triumphat
Sanguine. Riga mihi esto testis,

B 2

Accepta

Accepta parta qua tibi fert memor
Vni quietis munera & otij;
Cum nescio qua trux Erinny
Aut rabie furialis Ate
Discordiarum noxia semina
Sparsit, GEORGI Marte coërcita.
O Riga salve, Riga salve
Vrbium ocelle Liuonicarum:
In quâ disertum Syndicum agit meus
Amicus exsors David Hilichius,
Nosterque quondam, miles acer,
Signiferum patruelis egit.
Vrbem secundet, prosperet, auctitet
Fortuna constans, auspice numine:
Tranquillitatem nemo quisquam
Civibus hanc queat inuidere.
Beata floret publica res, ubi est
Bonosque & a quos cernere praesides
Summis gubernaculis, peritos
Gnaviter usque tenere clavum,
Remisque velisque utier, ut decet,
Ut magnitudo vasta negotium, &
Vicissitudo poscit. Ad te
Sed redeo, decus O Gradivi,
Prælustris

*Præluſtris Heros. Quis requieſcere
Paullum tibi unquam à militiâ dedit?*

*Quis te ſub Arcto marginatas
Angulus in latebras quietum
Compingere auſit? Vix ubi quæpiam
Græſſante nimbis Æoliis Noto*

*Sopita tempeſtas remiſit,
Excipiunt alia procelle*

*Inuſitatis flatibus. Illicet
Turcoa terris turma Polonicis*

*Paſſim ferebatur citatis
Calcibus aripedum imminere.*

*Tractu ex Livonium cura tibi imperat
Lectas Phalangas velitum equeſtrium*

*Podoliam in magnam viciffim
Ducere, & oppoſitas fugaci*

*Immittere hoſti. Sic tulit hætenus
Præclara vite conditio tua.*

Maius quid excellentiusque

Ipsa dehinc ſibi parturire

Pallas videtur bellica, perpetim

Tuo diurnans incola vertice,

Occaſionem ardens apisci,

Quæ cumules rediſſiva celfa


Magmen-


*Magmenta fama. Nobilitas amat
Tali magistro discere, & inclutum
Sic nomen aternare seram
In subolem, veniensque in ævum.
Hæc luculentis me Genio duce
Mandare chartis Aonides deæ
Iussere; ne pessum iret hilum,
Quod decori faceret perenni.
Tu vive longū, non modò in hoc ouans
Mundi theatro, sed quoq; in his metris;
Ac, si per ætatem licebit,
Magnificè his potiora patra,
Et acriorum sæcula posterum
Virtutem ad æquam talibus excita:
Ut grandiori, magne ductor,
Mique aliisque tubâ canaris.*


Paulus Melissus Francus, Comes sa-
cri Palatii & Eques, civis Romanus;


Electori Palatino à consilijs &
Bibliothecâ.

Anno cl̄o Is̄ XCIV.











9
2065¹⁻³⁰
==

*Magmenta fama. Nobilitas amat
Tali magistro discere, & inclutum
Sic nomen aternare seram
In subolem, veniensque in avum.
Hæc luculentis me Genio duce
Mandare chartis Aonides deæ
Iussere; ne pessum iret hilum,
Quod decori faceret perenni.
Vive longū, non modò in hoc ouans
ndi teatro, sed quoq; in his metris;
Ac, si per ætatem licebit,
Magnificè his potiora patra,
riorum sæcula posterum
em ad equam talibus excita:
randiori, magne ductor,
ue aliisque tubâ canaris.*

*eliffus Francus, Comes sa-
& Eques, civis Romanus;
ri Palatino à consilijs &
Bibliothecâ.
clb Is XCIV.*